



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs I. Ostenditur, Reges, vt benedicti sint, pueros esse non debere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)



DISCVRSVS I.

Ostenditur, Reges, vt benedicti sint, pueros esse non debere.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.



Ost terrificam illam, in amoenissimis deliciarum hortis maledictionis vocem insonantem: *Maledicta terra in opere tuo. Genes. 3.*

Heu quàm procul à toto humano genere exulabat benedictio! Heu quot mille annorum curriculis frustra desiderabatur! non reuersura, nisi veniret *Benedictus* in nomine Domini.

Maledictum super terram inundabat; vndique execratio vagabatur.

Lugebant super hoc Sancti, dum frequenter magni illius Iudeorum Heracliti, Ieremiam loquor, querula suspiria ingeminabant: *Vae mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixam, viram discordia in vniuersa terra? - - - -*
Omnes maledicunt mihi.

Generalissimam hanc maledictionem ab humano genere, nisi ab illo, de quo promissio diuina facta fuerat Abraham:

Gen. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes, tolli posse, probè antiqui Patres scientes multiplicatis suspirijs, frequenter precibus, Deum, vt illum qui opprobrium auferret, qui pro maledictione benedictionem adferret, mittere vel tandem dignaretur, instanter rogarunt,

Num 6. iuxta illud: Ipsi inuocabunt me, & ego benedicam. Confidens proinde, ac veritati, certæq; promissioni assentiens Psalmista, nil herendo, aiebat: *Benedictionem dabit Legislatores.* Exultauit Abraham, rogauit Dauid, vt viderent hunc: Nos vidimus, & lætati sumus; proinde, Exulta

Psal. 83. & iubila satis, filia Ierusalem, plebs Christiana, Ecce Rex tuus venit, venit benedictus in nomine Domini. Benedictus

(di-

(dico) venit, quia *Vir Oriens nomen eius* Zach. 6.

Ostendam hic primò, Reges non Pueros esse debere.

Secundò, Christum benedictum, quia *Rex Vir, Damna Puerorum tollens.*

QVLD SIT ESSE REGEM
PVERVM?

Certè si in aliqua Republica, Principatu, Imperio aut Regno Puer Gubernacula teneat, nec Gubernans, nec Gubernati, benedici possunt. Pro quo notes velim, si Puer in sacra Pagina variùm furni.

Primò, pro seruo, idque frequenter: *Suscepit Israël puerum suum.* Luc. I.

Secundò, pro filiis: *Pueri mei mecum sunt in Cubili.* Luc. II.

Tertiò, pro vero puero infante: *Inueniunt Puerum cum Maria matre eius.* Matth. 2.

Quartò, pro puero moribus, non ætate: *Va terra, cuius Rex puer est.* Eccl. 10.

Theodoretus, super illud Num. II. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum,* sic habet: *Ex his pacem facit illorum imperfectionem, dum eos.*

eos.

*Homil. 33
in Matt.* eos comparauit infanti, qui nihil possit ac velit, quàm lac sugere. Et D. Chry-
sostomus: Iudaicus, inquit, populus erat
adolescens, non ætate, sed leuitate, mo-
ribus immaturus, non annis; talem certè
quotquot & quicumque Regem habent,
dicere non possunt: Benedictus Rex no-
ster, qui venit in nomine Domini. Nam
optimè doctissimus noster ac sapientis-
simus Guarra ait: Sub Principibus nimis
adolescentibus ingentes sæpe calamita-
tes Regna perpeti solent.

DAMNA REGVM PVERORVM.

Isa. 3. Hinc iustissimus Iudæorum scelerum
vindex Deus, dum grauissimis illorum
peccatis ad vindictam prouocatus, pu-
nitionem meditabatur, aliud illis dete-
rius, horribilius, aut timendum magis,
non minatus est, quàm: *Dabo Pueros
Principes eorum, & effœminati domina-
buntur eis.* Et Sapiens suprâ: *Vae terra,
cuius Rex puer est.*

Nouerat hoc ille Philosophus, qui
roganti Pyrrho, Epirotarum Rege, quæ
Ciuitas foelicio, clarior & excellentior
esset? Molerda, respondit, (est ciuitas
Acha-

Achaia) vbi muri ex lapidibus nigris,
 Senatus ex capitibus canis conflatur:
 Infoelix (addit) es Numantia, infoelix
 Carthago & Athenis; putatis excellere,
 sed depressæ estis, eo quòd Senatores
 habeatis iuuenes.

Idcirco Romæ in porticu Tabernæ
 meritoria (ex qua sub Natalem Salua-
 toris Christi mirabiliter oleum fluxit)
 vbi olim veterani & emeriti milites ale-
 bantur, hæc Carmina aureis visebantur
 literis inscripta:

Romavetus, veteres dū te rexere Quirites,

Nec bonus immunis, nec malus vllus erat.

Defunctis Patrib. successit prava iuuentus,

Cuius consilio precipitata ruis.

Quia enim tales à Consiliarijs reguntur,
 quorum parum interest salus boni pu-
 blici, ab ijsdem vel ad tyrannidem vel
 leuitates & philautiam, pro eorum ge-
 nio diuerso, diuersimodè pertrahuntur.

Exemplum hoc vnum vobis sit instar o-
 mnium, quare scilicet Rex Roboam seq;
 suumq; regnum perdiderit, non ob aliud
 fanè, nisi quia & ipse puer, puerorumque,
 id est, malorum consilio regebatur. Sic
 habet Scriptura: *De relicto consilio Senio-*

rum

niorum respondit populo dura. - - -
 3. Reg. 12. Qui proinde exacerbatus, à Rege defecit: *Quæ nobis, inquit, pars in David vel qua hæreditas in filio Isai? Vade Israel in tabernacula tua. Ecce quæ mala pueritia Regis creat.*

Sanctus Dei amicus, tot Israëlem beneficijs obstringens, Davidem dico, contemnitur, hæreditas & sanguis eius Regius despicitur, Adiram Præfectus Regis occiditur, Regnum totum turbatur, & decem deficiunt Tribus, ac cuncti undique tumultuantur. Unde hæc omnia? Rex puer erat, ideoq; non benedictus.

REX CHRISTVS NON PVER,
 IDEOQVE BENEDICTVS
 VENIT.

Resuscitatur autem Ecclesiæ longè alius Rex à Regibus Synagogæ, qui Rex pacificus nominabitur & erit, proindeq; magnificandus & benedictus, qui plus quam Salomon, qui inuocauit, & venit in illum spiritus sapientia, vt nullatenus puer esset, hic antequam possit vocare patrem & matrem, sciet reprobare matrem, & eligere bonum, sciet diripere

Sap. 7.

sa. 8.

spo
le,
in e
etic
F
run
ron
tiffi
qui
pet
nan
S
effe
rati
atte
thej
diti
tern
est,
miti
dier
ran
ctan
dier
qua
rijs
min
spo

spolia, sciet tueri Regna. Benedictus ille, qui venit in nomine Domini; nulla in eius regimine formidanda damna, factiones nullæ, pericula nulla.

Puer quidem erat Salomon 12. annorum, (vti Hebræorum Rabbini & Hieronymus sentiunt) at vt canus prudentissimè æquissimam tulit sententiam; quia à Patre luminum sapientiam, quam petierat, misericorditer obtinuit. Vtinam perseueranter retinuisset!

Sic benedictus Rex noster, dum Puer esset 12. annorum, Doctoribus fit admirationi, eosq; sapientia sua suspensos & attonitos tenet, in illo namque *thesauri sapientia & scientia Dei absconditi erant.* Non iam terræ nostræ Væ interminetur, quia Rex noster puer non est, tollantur versus ex porticu Bethleemica, quia *Antiquus super nos regnat dierum.* De cætero non Consiliarij tyrannidem suadentes, non propria festantes lucra, apud hunc Regem audientur. Vis hoc probem? Venerat aliquando Capharnaum stipatus Consiliarijs; suadent bella, intentant minas, arma ministrant, ignem è coelo cieri volunt

con-

Epist. 138

ad Vitale

3. Reg. 3.

Col. 2.

Dan. 7.

Luc. 9. consummentem suscipere Regem nostrum nolentes. Sed audi, quid sapientissimus Rex noster, de quo dicitur: *Regnabit Rex, & sapiens erit: Nescitis, ait, cuius spiritus sitis, Filius hominis non venit homines perdere, sed saluare.* Rex sum senex, sed puer forem, si vobis assentiret. Benedictus igitur Rex noster, quia puer non est.

Audi aliud, & prudentiam Regis cur mirare, venerare & dilige. Statuerat Rex noster pro bono publico, priuatum parui pendere lucrum, respectum despiciere, maiestatem inclinare, imò propriam pessundare vitam; sic enim status Imperij exigebat, sic Regni salus postulabat, sic subditorum suadebat, imò urgebat necessitas: Audit hoc supremus aulae eius Marescallus Petrus, & aliud

Matt. 16. suadet: *Absit, inquit, hoc à te, Regem te cogita, periculo subducendus, non obijciendus es; cadant proinde subditi, perstet Rex; pereant membra, saluetur caput; periclitetur plebs, modò securus Rex fit.*

Ast Rex noster, quia puer non erat: *Vade, inquit, retrò Satan; non enim sapientis*

ipientis quæ Regis sunt, sapis, sed quæ sunt pueri. Rex certè, si puer esse nolit, non sibi se, sed Regno datum natumque arbitretur. Benedictus ergo Rex noster, qui *nobis natus, nobis datus, & benedicti Ecclesia.* omnes post ipsum Reges, qui se regere norunt, ne fatuo aliorum consilio transuersum agantur.

Non puer erat Theodosius iunior, dum rogatus à suis, quamobrem neminem eorum à quibus lædebat, afficeret supplicio? respondit: Utinam mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare! hoc præstat Rex noster Christus, ideo non puer, ideo benedictus qui venit in nomine Domini. Hunc, ô Christiane, ut dirigat te, te ut regat, ardentè, cupidè ac deuotè implora, nec quidquam curabis aduersi; quia scriptum est: *Domini regit me, & nihil mihi deerit.* *Psal. 22.*

Hunc sequimini, Principes, &
Pax affulgebit.

* *
*

DIS-